

Brixiae Prætor Reipublicæ nomine ad Proregem, Carolumque Borbonium eadem de causa proficisci iussus est. Verum longius prospiciens Senatus cum Pontifice agebat, ut communi consilio imminencia Italiæ pericula propulsarentur; id fieri absque dubio posse, si Pontifex, Senatus, Florentinaque Respublica, quæ Clementis auctoritatem sequebatur, foedere inito, tantum copiarum equestrium, pedestriumque numerum instruerent, qui ad ditiones illorum tuendas, atque ad Cæsareanos, si quid hostile aggrederentur, arcendos sufficeret: ab auctoritate, potentiaque foederatorum minores in Italia principes non recessuros. Erant sane tunc Reipublicæ cataphracti equites nongenti, levioris armaturæ sexcenti, pedites ad decem millia, præter classem, quæ multis triremibus, magnis, parvisque navibus instructa facillime a Republica maritimis in rebus innutrita augeri poterat. Alphonfus Ferrariensis Dux ducentos sexaginta cataphractos, leviores equites quadringentos, non parvam militum manum habebat. Metaurensium vero Ducis ea erat sententia, duorum cataphractorum millium, mille quingentorum leviorum equitum, peditum triginta millium exercitu Italiæ libertatem, dignitatemque defendi, hostium impetum repelli, ac pro tempore non minima illis damna inferri posse: celeritate tantum opus esse videbatur: pecuniæ defectu, militum tumultu, variis incommodis Cæsaris undique pressis Ducibus, occasione utendum: non alienum ab Italis Henricum Angliæ Regem futurum, qui licet foedere Cæsari vinctus esset, atque ad prælium illius Duces incitandos Gregorium Casalium in Italiam misisset, in immensum illius augeri vires, & penes unum leges belli, pacisque esse æquo animo minime laturus erat. His accedebat, quod a Cæsareanis pro novo foedere ineundo oblatae conditiones suspicione minime carere videbantur; cum præcipue Cæsar tunc in Hispania moraretur, neque ex illius consilio, & auctoritate quidquam decerni posset; quæque tractata de gravissimis rebus forent, comprobare, aut infringere in illius potestate esset. Cæsaris societati Italiæ libertatem, ac salutem prætere nihil aliud esse, quam acre adversus Gallos bellum, cunctis spectantibus, moliri; illis subactis, totius Christianæ Reipublicæ principatum Carolo deferre.

Qui-